



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

§. 2. Concilium Nicænum inchoatum anno Constantini vigesimo, eodem
anno absolutum est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Eodem anno etiam celebratae sunt Synodi ab eisdem factionis Episcopis Smyrnae in Asia, in Pamphylia, Isauria, & Lycia, à quibus omnibus & Lampacena, communicatis consiliis, tres ad Liberium legati, Eustathius Sebastenus, Silvanus Tarlensis, & Theophilus Castabalarum Episcopus destinati sunt, quibus mandatum est ut Liberii fidem amplecterentur, & cum Ecclesia Romana communionem inirent, fide Consubstantialis consensu suo confirmata, Romam itaque venerunt Eustathius, Silvanus, & Theophilus, & Lampacena, aliarumque Synodorum, à quibus erant missi, epistolas tradiderunt Liberio, qui cum eis communicare initio renuit, causas se eos suscipere non posse, qui ab Arianis paribus starent, & Nicenam fidem abrogassent. Responderunt legati, se & suos jamdudum ab Arianis castris recessisse, & Anomaeorum haeresim jam pridem damnasse, atque semper confessos esse Filium Patri omnia, nec omnia ab omnia quoad rem differre. Liberio autem ab eis petenti fidei professionem scripto comprehensam, libellum suo & suorum nomine tradiderunt, cui Nicenum Symbolum inferuerant.

In hoc libello dicebant, Consubstantialis vocabulum contra pravam Arij doctrinam pie sancteque additum esse Symbolo Niceno; se cum Episcopis, quorum legatione fungebantur, fidem, hoc Symbolo à Nicenis Patribus conscriptam, tenuisse ac tenere, & usque ad extremum spiritum retenturos esse; se Arij haeresim aliisque omnes haereses huic Symbolo adversantes dampnare; se denique Nicensem formulam, Arimini lectam, & Constantinopoli ab Episcopis, dolo & perjurio circumventis, subscriptam, anathematizare, utporè supradicto Symbolo contrariam.

Legatos tali cautione obligatos libens in communionem suscepit Liberius, dimisitque cum litteris ad Episcopos Omnia, His litteris libellum, à Legatis sibi oblatum, inferuerat. Narrat quæ eorum Legatis Romæ gesta sunt. Gratulatur eis rectam eorum fidem, cuius certa per Legatos accepit indicia. Certiores facit, quod omnes omnino Occidentales, qui Arimini per vim, vel fraudem subscriplerant Nicensem formulam, illam anathematizarent, Nicenum Symbolum subscripserint, majori, quam antea, Arij doctrinam odio prosequantur, & cum aliis Nicenam fidem profitentibus communionem conjunctissimi sint, &c.

Acceptis Liberii litteris, qui cum Eustathio erant, hoc est, Silvanus, & Theophilus, in Siciliam navigarunt, ibique coram Episcopis in Synodum coactis, Consubstantialis fidem professi, & approbato Niceno Symbolo, ab illis litteras in eandem sententiam scriptas acceperunt, atque ad eos, à quibus missi fuerant, reversi sunt. Eustathius verò cum Elpidio, Romanæ Ecclesiæ Presbytero, quem ei Liberius socium, & Sedis Apostolicæ legatum, unionis promovendæ gratia adjunxit, profectus est in Illyricum ad Valentinianum Imperatorem, contra Sarmatas bellum gerentem, qui ex occasione adventus Eustathii, & Elpidii Legati Apostolici, convocavit Illyricianos Episcopos.

Anno igitur 366. jubente Imperatore, pacis Ecclesiasticæ studiosissimo, Illyriaciani Episcopi Synodum egerunt, in qua omnibus maturè ponderatis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse consubstantiales, definierunt, & contrarium sententibus anathema dixerunt, atque in hanc sententiam litteras scripserunt ad Orientales, communionem suam eis pollicentes, modò idem tenerent, & docerent; cum ea sit fides à Nicenis Patribus comprobata. His Synodi litteris alias suo & Valentis collegæ nomine inscriptas addidit christianissimus Valentinianus ad eosdem Orientales, in quibus trium Personarum consubstantialitatem proferebatur.

His ita gestis, profecti sunt in Orientem Eustathius & Elpidius anno 366, ad finem vergente, & Tyanam venerunt, ubi Synodum agebant Eusebius

Cæsareæ Cappadociæ, Gregorius Nazianzi, cum aliis cum pluribus Episcopis, qui Joviano regnante, Consubstantialis doctrinam retinendam esse decreverant. Ibi cum magno omnium gaudio lectæ sunt Liberii & Occidentalium litteræ, ab Elpidio & Legatis Lampacenensis allatæ, aliæque ab iis, qui aderant, scriptæ ad omnes Episcopos, qui in Consubstantialis fidem consenserant. Invenit autem, ut anno sequenti ante exitum veris, Tarsum Ciliciæ convenirent, ad inceptam feliciter Orientales inter Occidentales unionem consummandam. Petiit quoque à Thyanensi Synodo Eustathius, ut in sedem suam restitueretur, quod ei liberaliter concessum est ab Episcopis, cum in communionem suam recipientibus, quem antea Sedes Apostolica receperat.

Eudoxius cum Omnia & Omnia Episcoporum consilium rescivisset, ne Synodus ab illis Tarsi ageretur, facile obtinuit à Valente, qui antea cum Fratre Consubstantialis acerrimus defensor exiterat: sed anno 366, victo & occiso Procopio tyranno, in alium planè mutatus est; cum enim tunc bellum contra Gothos pararet, pium iniit baptismi suscipiendi consilium; sed uxoris, mulieris Arianæ, artibus inductus, passus est se baptizari ab Eudoxio hominum nequissimo, qui jure jurando eum obstrinxit ad hoc ut Arianum dogma amplecteretur, in eo tenendo perseveraret, & contrarium sentientes malè mulctaret; & si essent Episcopi, sedibus expelleret. Quæ omnia præstitit Valens reliquo vitæ tempore, Omnia modis omnibus vexando, Episcopos fugando, ut Meletium, Eusebium Samosatenum, Athanasium, &c.

ARTICULUS V.

De generali Concilio Nicæa in Bithynia in causa Arij celebrato.

§. I.

Concilium Nicænum celebratum est anno Christi 325. & Constantini Magni 20.

Rob. Nam in Synodo Chalcedonensi act. 2. dicitur Nicænum Concilium celebratum fuisse Consulatui Paulini & Juliani virorum clarissimorum Consulatum, anno post Alexandrum 636. mensis secundum Græcos Desii die 19. qui est decimus tertius Calendarum Juliarum, in Nicæa Metropoli provincie Bithyniæ, Et apud Socratem lib. 1. cap. 13. legitur: Tempus quo Synodus (Nicæna) congregata est, sicut in notationibus temporis ipsi Synodo præfixis invenit, fuit Consulatui Paulini & Juliani, die undecimo Calendarum Junias, anno 636. à regno Alexandri Macedonis, Annus autem Christi 325. in annum Alex. 636. ut probat Petavius lib. 11. de doct. temp. cap. 41. & Consulatui Paulini & Juliani in annum 20. Imperii Constantini, ut colligitur ex Fastis e-mendatioribus, incidit.

Mendum igitur est in Eusebii chronico, ubi dicitur Nicænum Concilium celebratum fuisse anno Christi 324. Constantini Imperii 15. præsertim cum Eusebius ipse Nicænam Synodum actam esse in Vincennalibus Constantini, expressè asserat lib. 3. & 4. de vita Constantini. Utrum autem Synodus inchoata fuerit mense Majo, ut dicit Socrates, an mense Junio, ut dicunt Acta Synodi Chalcedonensis, & utrum Synodi Chalcedonensis Acta ex Socrate corrigenda sint, an verò Socrates corrigendus sit ex Actis Synodi Chalcedonensis, penes lectorem prudentem judicium esto.

§. II.

Concilium Nicænum inchoatum anno Constantini vigesimo, eodem anno absolutum est.

Prob. Nam Eusebius, qui huic Synodo adfuit, de actis ejus loquens lib. 3. de vita Const. sic ait: Quibus ad exitum perductis, festum triumphale ad Dei.

Socr. l. 6. c. 12.

S. Basil. epist. 74. ad O. cid.

Theod. lib. 4. c. 12. j. & c.

Ap. Socr. ibid.

Ap. Socr. ibid.

Socr. ibid.

Euseb. Syn. lib. 1.

Theod. l. 4. c. 20.

Theod. lib. 4. c. 20.

Euseb. Syn.

Ap. Theod.

Euseb. Syn.

Dei honorem illustrandum egit. Eodem tempore viginti annis regni annus completus est. Et in Creliconiana canonum collectione dicitur: *Factum est Concilium apud Nicæam Bithyniæ Metropolim à die 13. Calendæ Julii, quod tenuit usque ad 8. Calendæ Septembris, Paulino & Juliano Consulibus.* Adde quod à nullo veterum scriptum sit Nicænam Synodum sub pluribus, quam Paulino & Juliano, Consulibus habitam fuisse. Uno igitur illo anno Constantini vigesimo acta & peracta est Synodus Nicæana, nec nisi duos menses cum diebus aliquot duravit.

Nec audiendus est, 17. Sozomenus, dum ait l. 1. cap. 17. Julium ob ingravescentem ætatem à Nicæana Synodo abfuisse, quod supponit Nicænam Synodum convocaram fuisse sub Julio. At Julius sedere cœpit in Cathedra Petri anno 336. Constantini ultimo, 2. Phorius, dum asserit in lib. de Synodis, Nicænam Synodum sub Silvestro & Julio celebratam fuisse: nam si ita esset, Nicæna Synodus sex & decem annos durasset. 3. Gelasius Cizicenus, dum scribit Nicænam Synodum anno 16. Imperii Constantini indictam fuisse, & Patres sex ipsos annos confedisse. Hic enim author scateat erroribus, & levissimæ authoritatis est.

§. III.

Consilium Nicænum convocatum fuit à Constantino Magno, consentiente Silvestro Pontifice.

Ap. Theod.
l. 1. hist. c. 6.

Prob. Nam 1. Nicæni Patres in sua ad Alexandrinum Synodica epistola sic loquuntur: *Quando quidem Deo Optimo Maximo, eique charissimo Principe Constantino nos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante, sacra & magna Synodus Nicæa celebrata est, &c.* 2. In Ephesine Synodo collat. l. legitur: *Fides à recentis decem & octo Patribus in Metropoli Nicæana à sancta memoria Constantino congregatis exposita.* 3. S. Epiphanius hæresi 69. nu. 11. hæc scribit: *Imperator Ecclesia consulens, cum jam plerisque à se invicem dissidentibus, varia essent schismata, œcumenicam Synodum colligit 318. Episcoporum.* 4. Idem scribunt Theodoretus l. 1. hist. c. 7. Socrates l. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 1. cap. 17. Hæc autem convocatio à Constantino facta est, non per modum imperii, sed per modum adhortationis & invitationis; quo modo Synodos convocari à Christianis Principibus, consentiente Summo Pontifice, nihil vetat.

Quod autem Constantinus Synodum convocavit, Episcopos invitando, non illis imperando, disertè scribit Socrates loco proxime citato, his verbis: *Cum igitur Imperator duobus his malis Ecclesiam concuti videret, universalem Synodum congregavit, omnes undequaque Episcopos per litteras invitans, ut Nicæam Bithyniæ convenirent.* Jam verò quod in hanc convocationem consenserit Silvester, patet ex eo quod, acceptis Constantini litteris, non reflagatus sit, sed Legatos suos libens miserit, cum ipse venire non posset, longæva ætate prædeditus. Episcopus urbis Romæ, inquit Theodoretus, ob extremam senectutem abfuit ipse quidem; duos tamen misit Presbyteros, qui ipsius nomine gestis Concilii subscriberent.

Lib. 1. hist.
c. 7.

§. IV.

Osius Cordubensis Episcopus, Vito & Vincentius Ecclesie Romana Presbyteri, Nicæno Concilio præfuerunt nomine Silvestri Pontificis Maximi, cujus erant Legati.

Et 1. quod Osius Nicæno Concilio præfuerit, facile colligitur ex S. Athanasio, id apertè supponente, cum sic ait in Apologia de fuga sua: *In qua Synodo ille (Osius) non dux, & antesignanus fuit: quam non ille recta iuvendo, in suam sententiam pertraxit: que Ecclesia illius præsentie non pulcherrima monumenta retinet.* Et in epist. ad Solit. sic

loquentes inducit Arianos: *Hic (Osius) est Princeps Synodorum; & si quid scribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.*

2. Quod cum Oso, Vito seu Vitus & Vincentius præfuerint Synodo, probatur ex Socrate lib. 1. cap. 13. ubi nomina eorum, qui subscripserunt, & quo ordine subscripserunt, refert: *Osius Episcopus Cordubæ Hispaniæ ita credo, ut superius scriptum est. Vito & Vincentius Presbyteri urbis Romæ. Egypti Alexander Episcopus. Magnæ Antiochiæ Eustathius. Hierosolymorum Macarius.* Hunc autem subscriptionum ordinem testatur se ex Athanasio transcripsisse: sic enim prosequitur: *Et reliqui, quorum nomina in libro Athanasii Episcopi Alexandrini, qui Synodus inscribitur, plenissimè digesta sunt.* Ex his autem habemus duo, nempe & in subscriptionibus ordinem ac prærogativam Ecclesiarum servatam esse; nam Alexandrinus Episcopus ante Antiochenum, Antiochenus ante Hierosolymitanum subscripsit; & Osius, Vitonem, ac Vincentium primos subscripsisse. Ergo Osius, Vito & Vincentius in Synodo Nicæna subscripserunt nomine Romani Pontificis, & ut vicem ejus gerentes. Ergo in Synodo Nicæna locum tenuerunt, quem ipse tenuisset, & munia obierunt, quæ ipse obisset Romanus Pontifex, si præfens fuisset. Primum autem locum tenuisset, & Concilio præfuisset Romanus Pontifex, si præfens fuisset. Ergo Osius, Vito, & Vincentius in Synodo Nicæna primum tenuerunt locum, & Præsides fuerunt.

Dices, Eustathius Antiochenus præfuit Synodo: nam primus sedebat à dextris: narrat enim Eusebius lib. 3. de vita Constantini, ad Imperatorem brevem habitam esse orationem ab Episcopo, qui in dextro ordine sedebat primus; & hunc Episcopum fuisse Eustathium testatur Theodoretus lib. 1. cap. 7. Præterea, à veterum multis Eustathius dicitur primus in Concilio Nicæno extitisse. Ergo, &c. R. neg. ant. Ad prob. 1. Resp. primum locum in sinistro ordine, non primum in dextro, honoratiorem fuisse apud Romanos. Ad 2. prob. R. veteres illos Eustathio magno primas in Nicæna Synodo tribuere, non in dignitate & munere, sed in doctrina & facundia.

Dices, Alexandrum Alexandria Episcopum Synodo præfuisse scribunt ipsimet Patres Nicæni in sua ad Alexandrinum epistola. *Si aliud præterea quidpiam, inquit, dum honoratissimus Dominus, & Collega, & Frater noster Alexander una adest, sanctum & statutum fuerit, ipse, utpote qui rebus decisis cum præfuerit, tum communicavit, vobis coram accuratius renunciabit.* Resp. neg. Nam Patres Nicæni etiam secundum versionem hanc, non aliud in sua ad Alexandrinum epistola dicunt, quam Alexandrum rebus decidendis præfuisse. Aliud autem est Synodo præfuisse, & aliud præfuisse rebus decidendis. Præfuit igitur rebus decidendis Alexander, quatenus, cum nulli melius Alexandrinæ Ecclesiæ, quam Ariana pestis, & Ichisma Meletianum affligebant, notus esset status, ea de re præ cæteris à Synodo consultus & auditus est, atque quid ad hæresim profligandam, & tollendum schisma expedire judicaret, referenti, Synodus facilè in omnibus auscultavit. Quare melius vertit Henricus Valesius in hunc modum: *Si quid autem præterea, præfente Domino & charissimo Collega ac Fratre nostro Alexandro, sanctum ac definitum est, id ipse vobis accuratius referet, quippe qui gestorum auctor, ac particeps existat.*

Ap. Theod.
l. 1. hist. c. 7.

Dices. Sozomenus l. 1. cap. 17. recensens primum Sedium Episcopos, qui vel per se, vel per legatos Synodo adfuerunt, ultimo loco ponit Romanum Pontificem: *Hinc Concilia, inquit, interfuerunt ex Apostolicis quidem Sedibus Macarius Episcopus Hierosolymorum, & Eustathius Antiochiæ & Alexander Episcopus Alexandria Julius vero Episcopus urbis Romæ propter senectutem abfuit. Verum illius vice adfuerunt Vito & Vincentius, Romane Ecclesiæ Presbyteri.* Quomodo ergo Synodo præfidere potuerunt Legati Pontificis Romani? Resp.

Sozo-